



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Cisterciensis Ordinis**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Epistola Hvgonis Lvgdvnensis Archiepiscopi, ad eundem, in fauorem  
eorundem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11259**



maneat inconuulsum. Ipsi enim vidimus, eorumque veræ religioni testimonium perhibemus.

*EPISTOLA HVGONIS LVGDV-  
nensis Archiepiscopi, ad eundem, in  
favorem eorundem.*

**R**EVERENDISSIMO Patri & Domino suo Paschali Papæ II. Hngo Lugdunensis Ecclesiæ seruus, per omnia seipsum. Fratres isti præsentium geruli ad Paternitatis Vestræ Celsitudinem tendentes per nos transitum fecerunt: Et quia iuxta provinciam nostram, videlicet, in Episcopatu Cabilonensi mansionem habent, humilitatis nostræ litteris apud Celsitudinem Vestram se commendari petierunt. Sciatis autem eos esse de quodâ loco, qui novum monasterium vocatur, ad quem de Molismesi Ecclesia cum Abbate suo exeuntes, propter arctiorem & secretiorem vitam, secundum regulam beati Benedicti, quam proposuerant tenendam, habitatum venerunt, depositis quorundam monasteriorum consuetudinibus, imbecillitatem suam ad tantum pondus sustinendum imparem iudicantium. Vnde Molismesis Ecclesiæ fratres, & quidam alij adiacentes monachi, eos infestare & inquietare non desinunt, æstimantes se viliores & despectiores haberi  
apud



apud sæculū, si isti quasi singulares & noui monachi inter eos habitare videātur. Quapropter desideratissimam nobis Paternitatem vestram humiliter & cum fiducia deprecamur, vt fratres istos totam spem suam in vobis per Dominum ponentes, & idcirco ad Apostolatus vestri auctoritatem confugientes, benignè pro more vestro respiciatis, & eos & locum istorum ab hac infestatione & inquietudine liberando, auctoritatis vestræ priuilegio muniat, vtpotè pauperes Christi, nullam contra suos æmulos diuitijs vel potentia defensionem parantes, sed in sola Dei & vestra clementia spem habentes.

EPISTOLA VVALTERI EPISCOPI Cabilonensis.

VENERABILI Patri Papæ Paschali, VValterus Cabilonensis Episcopus salutem, & debitam subiectionem. Sicut Sanctitas vestra, vt fideles in vera religione proficiant, ardentè desiderat, sic eisdem vestræ protectionis vmbra, vestræq; consolationis fomentum deesse non expedit. Suppliciter ergò petimus, quatenus quod factum est de fratribus illis, qui arctioris vitæ desiderio à Molismensi Ecclesia, sanctorum virorum cōsilio, recesserunt, quos in nostro Episcopatu diuina pietas collo-

B 3                      cauit,